Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 239
Quelle:
Copyright:

tus 26. Magisterij in artibus 49. in Theologia 33. Et etatis 73. Anno &c. 1461. tabule complete. Annos igitur 76. habuit emortuali anno 1464. meritissimus Senecio, cui hic *Italum acetum* abstergam *Aeneae Silvii*, quo illum perfudit in *Hist. Friderici III. Imp. Analector. Kollarii* T. II. p. 11. *cujus ego doctrinam laudarem*, dicens, *nisi duos et viginti annos Isaiæ primum capitulum legisset, neque adhuc ad calcem venisset.* Idem evulsum ex hac *Historia* legitur inter *Aeneae Epistolas n.* CLXV. Inde, ut fit, transscripsit *Trithemius n.* 705. inde *Sixtus Senens. Biblioth. S. Lib.* IV. edit. *Paris.* 1610. p. 306. f. novis erroribus cumulans; ait enim Nostrum a. 1410. XXIV. *Libros* in solum C. I. *Isaiae* scripsisse. Apage primum *Sixti* annum 1410. Anno 1428. incepit Noster, ut supra sua manu testatus est. Apage *Libros* XXIV. Legimus superius triennio ante Autoris mortem: *Finitus et completus hic quintus Liber* &c. Dein mirare *Trithemium* sibi contradicentem; nam postquam *Aeneae* fabellam recoxisset, continuo subdit: *Scripsit multa volumina in Esaiam Prophetam.* Nec dices, aliud esse legere, aliud scribere; *Lecturam* enim vocat *Haselbachius*, quod in *Isaiam* scripsit, ut pariter superius vidisti. Demum, ut ad fontem redeamus, aut ignoravit rem *Aeneas Silvius*, aut intempestive jocari voluit. Alterutrum sane evincit nostrum Αυτογραφον. Quod si cui vel hoc mirum videatur, *Thomam* in *Isaia* interpretando ab a. 1428. ad an. 1460. non ultra XVI. *Capita* progressum esse, perpendat is, quaeso, legationes ab eo intra hoc tempus *Basileam*, in Imperium *germ. Pragam*, *Brunam*, in *Hungariam* obitas, curas Parochiales, negotia Academica, Lectiones non quotidianas &c. de quibus illum *Sec. I. Scriptt.* et *Conspectus Hist. Universit.* edocebunt.

CLVI.

Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 143. f. maj. per duas columnas currente calamo perscriptus, rubricis enotatus, et, ut theca anterior adserit, testamento legatus Collegio Ducali *Vien.* a celebri *Thoma de Haselbach* Theol. Prof. Plebano in *Perchtoldsdorf* et ad D. *Stephanum* Canonico, cujus Acta recensentur P. I. *Scriptt. Univ. Vien.* p. 138. continet, ut e calce praeoccupo, *Postillas super Ezechielem editas a fratre Hugone ordinis predicatorum bone Memorie Cardinali.* Est is *Hugo Delphinas*, dictus *a S. Caro* (Saint Chers) item *a S. Theoderio*, defunctus a. 1262. Autor vastarum *Postillarum* in universa Biblia, quarum Pars haec praesens incipit: *Apoc. VIII. Vidi et audiui uocem unius aquile uolantis* &c. et finit: *quam in circuitu tabernaculi fuerint ordinate a moyse in Numeris et hoc satis patet ex Glossis.* Editiones habes in *Scriptt. Ord. Praed.* T. I. p. 201. una cum Autoris Vita p. 194. In Edit. *Lugd.* 1645. quae, quod mirere, ibi U. 30

non